Carmelit. Discalceat. Coll. Visnicens: Verbum caro factum assertionibus theologicis explicatum.

VERBVM CARO FACTVM, ASSERTIONIBVS THEOLOGICIS

Ad mentem D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici,

EXPLICATVM;

ET

Illuſtriſsimo ac Magnifico Domino,

D. STANISLAO LVBOMIRSKI,

COMITI IN WISNICZ,

PALATINO ET GENERALI CRACOVIENSI, Scepuſienſi, Zatorienſi, Niepołomicenſi, &c.&c.

CAPITANEO.

A

FF. Carmelitis Diſcalceatis Collegij Viſnicenſis, Sacræ Theologiæ Studioſis,

Grati animi ergo dedicatum, publicoq́; certamini expoſitum.

CRAC. In Offic: Andreæ Petricouij, S. R. M. Typogr. Anno 1645.

IN ARMA
Illustrissimæ Domus Lubomirscianæ.



Quidquid gemmifero pulchri fert littore Ganges,
Insolitum quidquid ditior Indus habet.
Flumen Olympiacos istud transfundit in agros,
Quando fatigatum, fert tua dona Deo.
Dona tamen non esse putes: sunt fænora. Namq;
Mox tibi calestes reddet Olympus opes.

Illustrißimo ac Magnifico Domino,

D. STANISLAO LVBOMIRSKI,

COMITI IN WISNICZ, PALATINO ET GENERALI CRACOVIENSI,

Scepusiensi, Zatoriensi, Niepołomicensi, &c. &c.

CAPITANEO.

Fundatori & mæcenati suo amplissimo,

FF. Carmelitæ Discalceati Collegij Visnicensis, Sacræ Theologiæ Studiosi,

Fælicitatem.

INgreditur *limen munificentißimæ pietatis Tuæ*, Incarnatum Verbum, *quod Tuus Visnicensis Carmelus, non minus fæcundus, quàm facundus, nouo protulit miraculo. Excipies qua soles humanita-*

te, humanitatē indutum Deum. Non ingratus Tibi erit, qui gratijs onuſtus venit. Nec inurbanum crede, quem vrbaniſsimas Solymorum delitias, deſertis hiſce, amor docuit poſthabere. At multum Tibi commendandum non eſt; eloquentiſsimè quippe loquetur pro ſe, quia Verbum eſt. Quid verò illud hic? inquies Senator Illuſtriſsime. Tui fluuij munus eſt iſtud, qui inſolito nixu, verſus ſuperas conſcendens plagas, (illuc forte Tua donaria delaturus) talia poſtmodum in noſtras deuehit regiones. Iuuit & noſtra deuotio reuehentem, quippe quæ Diuinorum contemplationi intenta, liberaliſsimis Tuæ munificentiæ conatibus fulcitur & fouetur: hæc infatigatos libens ſupponit humeros, Diuinis Tibi gratijs viciſsim referendis. Creditq́; ſatis amplum ſui laboris futurum eſſe præmium, ſi quod offert, benignius fuerit probatum & receptum. Vale.

ASSERTIONES THEOLOGICÆ,

Ex tertia Parte Diui Thomæ Aquinatis,

De Verbi Diuini Incarnatione.

I.

OPtimo consilio S. Thomas prætermissa Quæstione de Possibilitate Incarnationis, incæpit à conuenientia eiusdem. Quod non ideo; quia possibilitas & conuenientia saltem respectu Diuinæ operationis conuertantur: Sed quia ex conuenientia semper infertur possibilitas; nam possibile, etiam relatum ad Deum, semper est superius conuenienti.

II.

Conuenientissimum fuit, Verbum æternum pro salute generis humani hominem fieri, & incarnari: quod optimè S. Thomas duabus Articuli rationibus probat. Neque ex hoc mysterio sequitur aliquod inconueniens tàm in Verbo assumente, quàm in natura assumpta. Possibilitas Incarnationis Verbi Diuini, siue vt Deus est, siue vt Verbum, à nullo intellectu creato, etiam Angelico, suæ naturæ relicto, est cognoscibilis. Hinc tamen non sequitur, posse Angelum, vel aliquam creaturam eui-

denter probare impoſsibilitatem Incarnationis. Cùm incarnatio nulli principio naturali euidenter ſit contraria, ſicut & cætera noſtræ fidei Sacramenta.

III.

Angelus etiam, poſt realem exhibitionem myſterij Incarnationis, non tantum cognoſcere non potuit illum hominem ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Diuinam : Sed neque euidenter cognoſcebat carentiam ſubſiſtentiæ illi humanitati debitæ. Ex Scriptura tamen, & ex principijs fidei, hoc myſterium probari poteſt, tam contra Iudæos, quod iam factum ſit; quàm contra Hæreticos, quòd ſic factũ ſit; ſicut Eccleſia Romana credit & docet.

IV.

Peccatum in genere Entis, imo etiam in genere moris, vt eſt malum hominis auertens illum ab ordine rationis, nullo modo eſt infinitum. Vt verò eſt malum hominis, auertens illum à bono infinito, quod eſt Deus, habet malitiam infinitam : quæ tamen non eſt infinita ſimpliciter & intẽſiuè, ſed extrinſecè tantùm, & obiectiuè.

V.

Peccato, vt eſt offenſa Dei, nulla infinitas intrinſeca & ſimpliciter talis concedi poteſt: ſed extrinſeca tantùm ab obiecto prouenienſ. Intimiùs tamen & magis propriè hanc infinitatem peccatum vt offenſa, quàm vt auerſio ab obiecto infinito ſortitur: quia poſitiuam terminationem exprimens, illud intimius attingit, quàm auerſio, quæ ſolùm carentiam dicit debiti ordinis ad ipsũ.

VI.

Nullus homo per opera merè naturalia potuit ſatiſfacere

facere Deo, non pro peccatis tantùm totius mundi, sed neque pro vnico peccato mortali, etiam ex iustitia imperfecta. Sicut neque per opera facta ex gratia, potuit aliqua pura creatura, satisfacere pro peccato totius generis humani, de toto rigore iustitiæ, vel ad æqualitatem.

VII.

Ex iustitiâ imperfectâ, quæ fundatur in libera acceptatione Dei, potuit aliquis homo iustus habens gratiam & charitatem supernaturalem, satisfacere Deo pro peccatis totius generis humani; & à fortiori pro aliquo peccato mortali. Sicut etiam talis, potest satisfacere Deo, pro venialibus ex iustitia perfecta, quamuis non de toto rigore iustitiæ. Vnde etiam satisfactio Christi, pro peccatis totius generis humani, superat satisfactionem hominis iusti pro venialibus.

VIII.

Satisfactio Christi, qua pro peccatis totius generis humani satisfecit, erat de toto rigore iustitiæ, elicita, vel imperata à virtute iustitiæ commutatiuæ: quæ satisfactio, licet in genere Entis Physici fuerit finita, in genere tamē Entis moralis fuit simpliciter & intrinsecè infinita. Humanitati tamen Christi non tribuitur satisfactio, vt principio Quod, sed vt principio Quo. Satisfaciens verò, vt Quod erat ipsum suppositum Verbi.

IX.

Quamuis glorificatio Christi, prior sit in genere Causæ finalis, præuisione peccati Originalis; tamen in genere causæ materialis, prior est præuisio peccati, adhuc in intentione. Vnde, si Adam non peccâsset, Verbum incarna-

carnatum non fuisset ex vi decreti habiti. An verò ex vi alicuius decreti, quòd Deus in illa Hypothesi habuisset, Verbum incarnatum fuisset, incertum est; non tamen desunt probabilitates ostendentes in hoc casu conuenientiam Incarnationis. Ex vi decreti habiti Christus non venisset, si fuisset solùm originale sine actualibus mortalibus, vel sola actualia mortalia, sine originali. Ex vi tamen alterius decreti, in vtroque casu venisset, præsertim si fuissent actualia mortalia in omnibus, vel in multis, non tamen si sola venialia fuissent.

X.

Vnio Verbi ad humanitatem non fuit facta in natura, sed in Hypostasi seu persona. Propter quam vnionem Persona Christi & est, & absolutè, imo rigorosè, dici potest composita, tam ex natura Diuinâ & humanâ, quàm ex naturâ humanâ & supposito Verbi, quàm etiam ex natura humana & personalitate. Non tamen dici potest Filius Dei est compositus, etiam per communicationem idiomatum. Hæc verò compositio, quocunque modo sumatur, non fuit compositio Ex his, sed Cum his.

XI.

Vnio naturæ Diuinæ & humanæ in Christo, est quædam relatio creata, fundata in ipsa vnitate Personæ Christi; non autem in aliqua alia vnione, quæ sit modus substantialis formaliter vtramque naturam in Christo nectens. Huiusmodi enim modalem vnionem, tanquam commentum nouum modernorum, sicut in Philosophicis sic in Theologicis reijcimus.

XII. Cau-

XII.

Cauſa principalis Efficiens Incarnationis, erat tota Trinitas: creaturæ verò talis efficientia repugnabat. Imo nulla creatura, etiam B. Virgo, fuit de facto cauſa inſtrumentalis vnionis hypoſtaticæ; Quamuis de poſsibili, potuerit quælibet creatura, etiam Virgo Sanctiſsima, non quidem ſecundùm quod erat Mater, ſed ſecundùm quod erat quædam creatura, aſſumi vt inſtrumentum ad prædictam vnionem cauſandam. Sicut etiam humanitas Chriſti, inſtrumentaliter concurrebat ad vniendas Verbo partes ſubſtantiæ, de nouo à Chriſto per nutritionem acquiſitas.

XIII.

Chriſtus non meruit ſibi, imò nec mereri potuit, vel ipſam vnionem, vel durationem eius, vel tandem circūſtantias Incarnationis: quamuis meruerit de facto vnionem cum hypoſtaſi Verbi partium, de nouo per nutritioné acquiſitarū. Humanitas verò, quamuis nil de facto horum meruerit: de potentiâ tamen abſolutâ, omnia mereri potuit in aliquo inſtanti, ſiue reali, ſiue rationis, præcedente Incarnationem.

XIV.

SS. Patres, tempore præcedentes Incarnationem, nec de congruo, nec de condigno, meruerunt prædeſtinationem humanitatis Chriſti, ad eſſe perſonale Verbi: ſicut neq; apertionem regni cœlorum, vel gratiam primam ex meritis Chriſti ſibi collatam: meruerunt tamē Incarnationem ipſam, tam quoad ſubſtantiam, quàm quoad circumſtantias, vel accelerationem, non quidem

de condigno, ſed de congruo. Virgo etiam SS. quamuis de condigno meruerit eum gratiæ gradum, cum quo fuit digna Mater Deo: Non tamen meruit, vel mereri potuit, de condigno vt ſit Mater Dei, etiam ſuppoſito decreto de Incarnatione, quamuis id de congruo meruerit.

XV.

Non eſt aſsignabilis aliqua diſpoſitio in Humanitate reſpectu vnionis hypoſtaticæ, ſiue loquamur de diſpoſitione vltima, ſiue non vltima, ſiue phyſica, ſiue morali, antecedenti vel conſequenti, quæ vera ſit diſpoſitio, vereq; ipſa vnione in hoc genere prior. Vnde ipſi quoq; gratiæ habituali omnem diſpoſitionis modum, etiam de potentia Dei abſoluta, in hoc myſterio denegamus.

XVI.

Non minus gratia vnionis, quam gratia habitualis erat Chriſto naturalis: primò, quia vtraq; ortum traxit à natura Diuina, quæ erat in proprietate ſermonis Natura Chriſti. Deinde, quia competebant Chriſto à Natiuitate; Gratia quidem concomitanter tantummodò, gratia verò vnionis formaliter & concomitanter, formaliter quidem, ſi Natiuitas ſumatur pro actione vnitiua humanitatis ad Verbum; concomitanter verò, ſi formatio fœtus nomine natiuitatis intelligatur.

XVII.

Ita proprium eſt Diuinæ Perſonæ alienam terminare naturam, vt id perſonæ creatæ omninò repugnare cenſeamus. Et licet quælibet Diuina Perſona poſsit terminare alienam naturam, imo etiam vna perſona plures naturas, vel plures perſonæ vnam: de facto tamen ſolus

Filius

Filius humanam naturam assumpsit, Pater verò, & Spiritus S. nec quidem per concomitantiam dicuntur Christi naturam terminare, quamuis in ea ex vi concomitantiæ, ipsam Diuinitatem cæteraq; absoluta, quæ supposito à Persona Filij non differunt, dicamus inueniri.

XVIII.

Abstractis à natura personalitatibus, non quidem negatiuè, sed purè præcisiuè, potuit natura Diuina terminare humanam naturam ratione suæ personalitatis absolutæ, tam in sensu hypothetico, attẽdendo qualis esset in statu talis abstractionis, quàm in sensu formali, considerando eam, vt est nunc; hæc tamen terminatio fieret ratione subsistentiæ formaliter, non verò ratione existentiæ, vel ratione ipsius naturæ, vt natura est.

XIX.

In casu quo terminarent plures personæ vnam humanitatem, non essent dicendi plures homines, sed vnus tantùm. Similiter, si assumerent tres personæ tres humanitates, siue simul, siue succesiuè, ita tamen, vt quælibet assumeret quamlibet, essent tantùm vnus homo. Si verò duæ personæ, v. g. Pater & Filius assumerent duas humanitates, & postea Spiritus S. vtramq; , tunc illa natura, vt est in Patre & Filio, duos homines constitueret. Esset verò vnus homo relata ad Spiritum S.

XX.

Quãuis in casu quo vna persona assumeret plures naturas humanas, esset & diceretur vnus homo, possetq; prædicari de illo accidẽtaliter, vt subsistẽte in vna natura, quę dicuntur de illo, vt subsistente in alia: non tamen substantiali-

tiali-

tialiter, quia in hoc casu, communicatio idiomatum non esset, cùm nulla illarum naturarum esset idem cum supposito, vnde etiam posset vt subsistens in vna natura mori, & vt subsistens in alia viuere. Dormire vt subsistens in vna: disputare vt subsistens in alia. Esse Romæ vt subsistit in hac: & esse Parisijs, vt subsistit in illa: imo de potẽtia ordinaria exigeretur semper, vt ille homo diuersa loca occuparet, quamuis de potentia absoluta ipsi non repugnaret occupare eundem.

XXI.

Natura Angelica, imo etiam quælibet alia natura, etiam irrationalis, insensibilis & Accidẽtalis, sola materia prima, & partibus quæ sunt actu partes exceptis, potest assumi ad vnionem Hypostaticam Personæ Diuinæ. Si tamen assumeretur natura irrationabilis vel insensibilis, non vocaretur Persona, sed suppositum. Sicut neq; accidens assumptum, relinqueret naturam accidentis, quamuis ex vi talis assumptionis subsisteret: Quia implicat illud ad existendum tantummodò per existentiam absolutam assumi.

XXII.

Natura semel completa, & terminata per propriam personalitatem, est simpliciter inassumptibilis, nisi intercedat ipsius personalitatis destructio: natura verò per subsistentiam Diuinam completa & personata, non retinet appetitum innatum, nisi fortè per modum actus primi ad propriam subsistentiam. In actu verò secundo nullum appetitum in ea admittimus, vt potè perfectiori sub sistentia, suamq; eminenter continente, actuata.

XXIII.

Sanguis naturalis, & reliqui tres humores, dentes, vngues, capilli, spiritus vitales, & animales, cæteraq; omnia, quæ informantur in homine eâdẽ animâ, fuerunt Verbo hypostaticè vnita: sanguis verò nutrimentalis, eaq; omnia quæ prædictâ animâ non informantur, Verbo hypostaticè vnita fuisse negamus.

XXIV.

Quamuis ex vi solius vnionis hypostaticæ præcisè humanitas Christi fuerit sancta, Deoq; grata personaliter: sanctitatem tamen & iustitiam formalem, sine gratia habituali non habuisset. Vnde etiam operationes Christi non fuissent supernaturales, supernaturalisq; præmij meritoriæ, nisi in eo gratia habitualis fuisset, quam in Christo fuisse, velut dogma fidei tenemus.

XXV.

Ab hac gratiâ Animam Christi formaliter sanctificante, fluxerunt in Christi animæ potentias omnes virtutes infusæ, quæ aliquam imperfectionem non supponunt in Christo, qualis est virtus pœnitentiæ, & similes. Virtutes etiam acquisitæ, fuerunt Christo per accidens infusæ, vnà cum speciebus ad earum exercitium requisitis. Fuerunt etiam in Christo omnia dona Spiritus S. tam illa quæ sunt in intellectu, quàm illa quæ sunt in voluntate, etiam donum timoris. Quod negare parum tutum esset in fide.

XXVI.

Fides non fuit in Christo, imo etiam de potentiâ Dei absolutâ ipsi repugnabat, vnde & in casu quo fieret ipsi

obſcura reuelatio, circa obiectũ ſecundarium fidei (quod ſtante adhuc viſione beatificâ non implicat) Chriſtus illud obſcurè reuelatum non cognouiſſet per fidem, ſed per aliquod lumen ipſius intellectui tunc infuſum, meritum tamen fidei Chriſto, negatâ fide, concedimus.

XXVII.

Neq; ſpes fuit in Chriſto, qui illo ab inſtanti ſuæ conceptionis fruebatur quod ſperamus. Illud autem Deſiderium quo Chriſtus deſiderabat extenſionem Incarnationis ad partes de nouo per nutritionem acquirendas, continuationem eiuſdem, reunionem corporis & animæ in reſurrectione, ac tandem gloriam corporis, erat actus charitatis, vt motæ à dote fruitionis, quæ in comprehenſoribus ſuccedit ſpei: quod idem de Beatis reſpectu gloriæ corporis, & duratione eiuſdem gloriæ, dicendum eſt.

XXVIII.

In Chriſto fuerunt Gratiæ gratis datæ, permanenter, ſolâ gratiâ miraculorum & Prophetia exceptâ, quæ fuerunt in eo ſicut & in alijs, per modum cuiuſdam impreſſionis tranſeuntis. Quamuis & Prophetia dici poſſit in eo per modum permanentis fuiſſe, ſi propheticum lumen, in Chriſto dicamus fuiſſe, vel ſcientiam infuſam, vel certè cognitionem Creaturarum in Verbo, ſolâ ratione à viſione beatificâ diſtinctum. Gratiam autem linguarum, etiam quantum ad vſum, in Chriſto fuiſſe probabile eſt.

XXIX.

Gratia habitualis Chriſti, ex ea parte qua fuit infinita, augeri nullo modo potuit: fuit autem infinita non in

Esse Entis, sed in Esse gratiæ, ratione ipsius personæ Diuinæ quæ fuit infinita. Vnde etiam ipsi in Esse Entis sumptæ non repugnabat Augmentum. Et quamuis adhuc in esse Entis sumpta fuerit maior gratiâ omnium Sanctorum & Angelorum, potuit tamen Deus maiorem illâ etiam puræ creaturæ conferre, non quidem maiorem in esse gratiæ (quia hoc est impossibile) sed tantùm maiorem in esse Entis, seu in ratione formæ Physicæ.

XXX.

Christus est vere caput omnium hominum, vel actu vel potentiâ, solis damnatis exceptis; imo etiam Angelorum Beatorum, qui simul cum hominibus vnum efficiunt corpus Ecclesiæ triumphantis: magis tamen propriè est caput hominum quam Angelorum, qui nec gratiam nec gloriam essentialem fuerunt consecuti ex meritis Christi. Sicut nec primi parentes iustitiam & gratiam originalem, qua originalis erat.

XXXI.

Hæc ratio Capitis conuenit Christo, sumpta Metaphora à capite naturali, in quo tria inueniuntur, quæ etiam Christo conueniunt, nempe, ordo seu primitas, perfectio, & virtus seu influxus in alia membra: vnde si de influxu interno loquamur, soli Christo in quantum Deus homo est reduplicatiuè, & in quantum homo specificatiuè, conuenit esse caput Ecclesiæ: quamuis si de influxu quantum ad extrinsecam gubernationem sit Sermo, sunt alia Ecclesiæ capita præter Christum: Papa in tota Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi, & alij.

XXXII.

XXXII.

Christus est Caput hominum tam quoad animas, quàm quoad corpora: principaliꝰ tamen quoad animas, in quas influit gratiam & alia spiritualia dona. Influit autem mediante humanitate, quæ in infusione gratiæ duplicem rationem causalitatis sortitur: est enim causa gratiæ Christi humanitas, & moralis seu meritoria principalis, & Physica instrumentalis, cuius operatio præuia (quæ est de ratione instrumenti) erit vel opus Phantasiæ Christi, vel actus imperij, vel quid simile.

XXXIII.

Gratia Capitis non distinguitur in Christo à gratia habituali nisi ratione, quamuis vtraq; à gratia vnionis realiter distinguatur. Et Diabolus, & Antichristus, sunt capita Reproborum, nullus tamen ob influxum internum: sed Diabolus ob excessum malitiæ, & exteriorem directionẽ reproborum in suum finem, qui est auersio à Deo: Antichristus verò ob solam malitiæ perfectionem, qua excedet omnes viatores reprobos, non tamen actualiter damnatos, vel Dæmones, secundùm quod intelliguntur esse sub statu actualis damnationis.

LAVS DEO, VIRGINIQ. MATRI.